

„Der Prediger-Orden in Oesterreich.“ S. 80.) Im Jahre 1692 visitierte Abt Edmund Sinhuber von St. Peter das Kloster und fand geordnete Zustände.

Maria Benedicta hat während ihres achtunddreissigjährigen Wirkens als Aebtissin 39 Chorfrauen und 29 Laienschwestern dem Convente zugeführt. Die Chronik bemerkt, dass von ihr „dem hochadeligen Convent in Speiss, Kleidung, auch andern geist- und leiblichen Nothwendigkeiten vül verbessert und vermehrt worden.“ Sie liess in den Zellen Oefen setzen, denn bisher musste man sich ohne solche behelfen. Die eigentliche Abtei wurde neu gebaut, die Kanzlei und Schaffnerei restauriert und die Zahl der Gastzimmer vermehrt. Für die Stiftskirche liess sie Monstranzen und Kelch aus Gold, mit echten Steinen und Perlen besetzt, und drei silberne Ampeln machen. Ein neuer Predigtstuhl wurde beigeschafft. M. Benedicta ist am 20. März 1695 von dieser Welt abberufen worden.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Series critico-chronologica Hagiographorum decimi saeculi.

Opera R. P. D. Bedae Plaine, O. S. B., in ordinem redacta.

(Fortsetzung zu Heft I. 1893 S. 39—53.)

31. Laurentius Cassinensis.

Monachus erat Cassinensis Laurentius, de quo nunc loquimur, sed obiit incertae sedis Italiae episcopus, circa annos 950—960. Ei attribuitur vita primigenia S. Wenceslai Bohemorum Ducis et martyris (28. sept. 936) quam conscripsit secundum quod audierat a quodam Domino Benedicto ex partibus Bohemorum oriundo, et postea Monacho Cassinensi: sed aliunde auctor magis studuit fovendae pietati quam historicae rei profectui. Remanet adhuc inedita, ni fallimur, haec scriptio, praeter aliquod breve fragmentum quod evulgaverunt socii Bollandiani.¹⁾

2. Eidem Laurentio Cassinensi debetur Vita metrica (perdita?) S. Mauri Glannafoliensis.²⁾

3. item Vita similiter metrica S. Castrensis episcopi (11. fev. 46) qui a Wandalis ex Africa pulsus et in Campaniam secedens, ibi pastorale munus cum summa vigilantia exercuit. Edita est haec scriptio teste Bollandio mendose et pro unica vice a Joanne Alamanniae.³⁾

¹⁾ Acta SS. t. 7. septembris p. 771 et 836.

²⁾ Petrus Diaconus. De viris illustribus. n. 6.

³⁾ Acta SS. t. 2. februar. p. 525. n. 9.

4. Auctor est etiam Laurentius cujusdam sermonis de laudibus S. Benedicti, Abbatis.¹⁾

32. Anonymus Bobiensis.

Iste auctor accepta ex testibus oculatis, seu etiam ipse testis oculatus descripsit miracula a S. Columbano usque ad annos 910—940 patrata.²⁾ Narrat bona fide et sat luculenter. Plura vero ex miraculis, quae referuntur, alicujus pretii habentur sive ad rem historicam elucidandam, sive praesertim ad vindicandam monasticam immunitatem in multis locis tunc temporis impie pedibus conculcatam.

33. Anonymus Januensis.

Paulo post episcopatum Sabbatini, Januensis Episcopi ac proinde circa annos 880—910 scribi debuit vita S. Romuli, Episcopi Januensis (13. oct. 400?). Brevissima est haec scriptio, et fere nihil in ea narratur de vita et gestis Sancti sed paulo amplius referuntur ea, quae noverat auctor de vastationibus Sarracenorum et de inventionem sacri corporis Sancti.

34. Anonymus Conchensis.

Iisdem annis affigi posse videtur relatio stylo soluto facta translationis ex Agenno in Conchense monasterium corporis S. Fidis Virginis et martyris (6. oct. 305). Aetas auctoris dignoscitur ex eo quod loquitur de Stephano secundo (930—960) Arvernorum Episcopo jam defuncto. Aliunde si elegantia sermonis non deest isti anonymo, non satis tamen abhorret a fuco et verborum pompa iste biographus, et licet in aliquot circumstantiis in dubium revocari possint ejus asserta, ordinarie tamen videtur fide dignus saltem quoad substantiam rerum.

35. Atto Vercellensis Episcopus. c. 960.

Atto Vercellensis Episcopus scientia et pietate claruit inter episcopos sui temporis. Porro scripsit inter alia Librum de presuris Ecclesiae in quo sapienter disserit de Vitiis, quae tunc grassabantur, et de eorum remediis. Ei etiam debentur aliqui sermones in honorem plurium Sanctorum et praecipue in honorem S. Eusebii unius ex suis praedecessoribus, quem mirifice laudat.³⁾ Hinc merito Alto computatur inter hagiographos decimi seculi.

36. Cosmas Japiges.

Cosmas Japiges alias Materiensis dictus e loco nativitatis in Lucania, auctor est cujusdam Carminis in honorem Sanctorum Theopompi et sociorum ejus, qui pridie Nonas Januarii Nicomediae

¹⁾ Patrol. lat. t. 133 p. 885.

²⁾ Acta SS. O. S. Bened. t. 2. p. 37—51.

³⁾ Patrol. lat. t. 134 p. 852 et seq.

passi sunt, sed de quibus solum die 21. Maii fit memoria in Martyrologio Romano.¹⁾ Cosmae versus non sunt sufficienter sale conditi, sed redolent pietatem, et ex Graeco fonte fideliter expressi continere videntur quidquid sciri potest de istis sanctis martyribus.

37. Fridegodus, monachus Anglus.

Anglia, nulli forsitan regioni secunda fuit in hac aetate sive quoad cultum litterarum hagiographicarum, sive quoad zelum religionis quo flagrarunt ejus litterati: quippe quae regio minus aliis Europae regnis patuit, ni fallimur, Normannorum in cursionibus ac etiam anarchiae politicae, de quibus locuti sumus in praefationibus istius recensionis. Primus tamen hagiographorum Anglorum, qui sese nobis offert, Fridegodus vocatur, et solummodo obiit circa annos 950—960. Magnam reliquit famam scientiae et pietatis: sed scripta ejus pro majori parte perdita sunt seu delitescunt adhuc inedita in pluteis bibliothecarum. Quod certe contigit Vitae S. Audoeni seu potius Ovini monachi Lichfeldiensis (4. mart. 680) cujus ipse auctor erat.²⁾

Meliiorem habuit sortem Vita Metrica S. Wilfridi Eboracensis archiepiscopi (24. apr. 709) quam publici juris fecit Mabillonius et alii post eum³⁾ sed falso attributum est eidem Fridegodo quoddam carmen epicum de Pontificibus et Martyribus Ecclesiae Eboracensis nam haec scriptio debet restitui Alcuino Turonensi tanquam ejus legitimo et vero auctori.⁴⁾

38. Lantfredus, Monachus Wintoniensis.

Lantfredus erat Monachus Wintoniensis, et tanta doctrinae fama fruebatur ut communiter Doctor eximius nuncuparetur⁵⁾ sed valde pauca nobis reliquit monumenta litteraria, scilicet solummodo duos libros de Miraculis S. Swithuni, Episcopi Wintoniensis (2. jul. 862) cum aliquot hymnis ad laudem ejusdem sancti et sanctorum Birini et Athelwoldi.

Liber primus miraculorum S. Swithuni continet miracula tribus annis ante translationem sancti peracta, cum istius relatione Translationis, quae contigit in anno 971; liber vero secundus miracula recenset, quae operata fuerunt primis annis post dictam translationem. Expedite et sat clare, licet non sine aliquo fucio res narrat Lantfredus, versus aliquot vicibus intermiscens. Linguam callebat graecam, et nimis frequenter graecas voces Latinas facit. Jam partim a sociis Bollandianis editi fuerant duo isti libri miraculorum S. Swithuni⁶⁾ sed integrius et perfectius

¹⁾ Ibid. t. 133 p. 879 et seq.

²⁾ Surtius hunc Audoenum eundem esse ac Audoenum Rotomagensem erronee credidit.

³⁾ Patrol. lat. t. 133 p. 981—1011.

⁴⁾ Ibid. t. 102 p. 812—843.

⁵⁾ Pitseus: De Scriptoribus Angliae, n. 110?

⁶⁾ Acta SS. Julii t. 2 p. 328 et seq.

ex codice fere coaevo recentissime luce nova donati sunt opera D. Sauvage, docti presbyteri Rotomagensis,¹⁾ qui simul e tenebris eruit duos hymnos alphabeticos et paractericos ab eodem Lantfredo in honorem S. Swithuni compositos.²⁾ Non multum emicant poetae angli claritas et elegantia sermonis; sed res in istis hymnis sed res valde difficilis erat quando auctor multiplicibus legibus seu potius vinculis constrictus erat versuum paractericorum.

39. Wolstanus, monachus item Wintoniensis.

A Lantfredo non separari decet Wolstanum, qui metricè scripsit vitam ejusdem S. Swithuni,³⁾ cujus miracula prosaice litteris exaraverat dictus Lantfredus. Nam licet Wolstanus dies suos produxerit usque ad primos annos undecimi seculi, carmen tamen ejus de laudibus S. Swithuni ante finem decimi seculi redigi debuit. Constat istud pluribus distichis industriose elaboratis, et superat prosam Lantfredi tum simplicitate, tum claritate dictionis.

Eidem Wolstano debetur vita primigenia, teste Malmesburiensi, S. Ethelwoldi, Wintoniensis episcopi (1. august. 984)⁴⁾ „de cujus ortu, gestis et obitu aliqua narrare dignum duxit ne tanti Patris memoria penitus oblivioni traderetur. Ea vero quae presentes ipsi vidimus, seu quae fidei seniorum relatione didicimus, in his scedulis summatim perstrinximus.“⁵⁾ De facto res compendiose narrat Wolstanus sed eleganter et correcte, metrum prosae aliquot vicibus aptat, seu stylo mediocri utitur, ut loquitur Malmesburiensis.⁶⁾

40. Bridfertus, monachus Ramesiensis.

Circa idem tempus floruit primus biographus S. Dunstani (19. maii 988) Cantuariensis archiepiscopi et ecclesiasticae disciplinae in Anglia precipui instauratoris. Iste monachus erat Ramesiensis, et a pluribus Bridfertus vocatur, licet ab aliis ut anonymus reputetur. Scriptio ejus de formis est ratione styli, et multis scatet barbaris dictionibus sed tamen magni pretii est pro historia horum temporum, quia satis est extensa, et nihil continet nisi „ea, quae auctor ipse vidit vel audivit a Sancto ipso seu ab alumnis, quos Sanctus ipse a tenella juventutis aetate ad viros perfectos educando deduxit“⁷⁾ unde alii ejusdem sancti biographi fere omnia ex hac fonte vivida desumpserunt quae in eorum scriptionibus inveniuntur.

1) *Analecta Bolland.* t. 4 p. 372—410.

2) *Ibid.* t. 5 p. 54—57.

3) *Acta SS. O. S. Benedicti* t. 9 p. 619 et seq.

4) *De Regibus Anglorum* 2, 8.

5) *Praefatio in Vitam S. Ethelwoldi.*

6) *De Regibus Anglorum* 2, 8.

7) *Prolog. in primum Vitam S. Dunstan.*

41. Anonymus Eliensis.

Contigit anno 974 translatio corporis S. Witburgae Virginis (14. martii 643) a loco sepulturae nuncupato Dereham ad monasterium Eliense: cujus translationis exstat relatio authentica pie et eleganter scripta, quae haberi potest, ni fallimur, quasi rei factae processus verbalis.¹⁾

42. Raguel Cordubensis.

Circa annos 940—960 floruit in Hispania Raguel presbyter Cordubensis, cui debetur Passio S. Pelagii (25. jun. 912), pueri duodennis a patruo Sarraceno membratim forcipibus crudeliter dissecti, quia fidem Christi dimittere nolebat. Raguel nihil refert „nisi ea, quae a sodalibus sancti Martyris didicerat“²⁾ ac proinde „omni fide dignus est. Aliunde pie et correcte scribit. Fama vero gloriosi triumphus juvenis Martyris, adjuvante biographo, brevi tempore ad exterarum nationes et usque in Saxoniam volavit, ibique tanta admiratione repleta est illustris Sanctimonialis Roswitha ut Pelagium statim carmine heroico celebrare curaverit.

43. Joannes diaconus, hispanus.

Pluribus annis ante Ragulem, alius hispanus, qui seipsum nuncupat Joannem diaconum, minus correcte sed fideliter et sine ullo furore, compendiosam scripserat vitam S. Froylani Abbatis Cuturrini in Asturiis et deinde episcopi Legionensis (5. oct. 905). Auctor erat coevus, ejusque scriptio licet perbrevis, maximi est momenti, nam ex ea clare eruitur hagiographos omnes hucusque in errorem versatos fuisse non exceptis Florezio, Bollandianis et Mabillonio ut diserte probat Doctus Pater Risco, cui debetur hujus documentum detectio³⁾: siquidem antequam haec scriptio luce publica donaretur, Froylanus et ejus sodalis Attilanus episcopus Zamorensis (5. oct. 919) falso asserebantur mortem subisse temporalem seculo undecimo inchoante, dum revera, mors eorum pretiosa fere centum annis antiquior computari debet.

44. Anonymus Burgensis.

Paulo post Pelagium, de quo supra, et in eadem persecutione arabica, alius Hispanus, Victor nomine martyrium gloriose passus est (26. aug. 950) in viculo Ceresus nomine non longe a Castello Burgensi in Castella Veteri cujus passionis, brevissimam habemus notitiam forsitan a suppare conscriptam.

45. Anonymus Navarrus.

Oscas in Arragonia passas erant pro fide Christi sub eadem persecutione Arabica duae virgines germanae nempe Nunilo et

¹⁾ Acta Sanct. Bolland. t. 2 martii p. 605.

²⁾ Pasiso S. Pelagii, n. 3.

³⁾ Espana Sagrada, t. 34 p. 422—425.

Alodia (22. oct. 851). De quibus fere nihil scitur. Relatio vero translationis eorum corporum ex Oscensi castro ad Legerense monasterium in Navarra (880) nobis transmissa est sat eleganter et correcte scripta a quodam anonymo, qui coevus vel saltem suppar judicatur.

46. Flodoardus Canonicus Remensis.

Magnam post se scientiae et litterarum famam praesertim ut historicus, reliquit celeberrimus Flodoardus Monachus seu Canonicus Remensis, verumtamen nec contumenda sunt ejusdem scripta hagiographica, quae sunt partim metrica, partim simpliciter prosaica. Porro juxta regulas versuum heroicorum conscripti sunt:

1. De triumphis Christi Sanctorumque Palestinorum libri tres.
2. Item Sanctorum Antiochenorum duo libri.
3. Item Sanctorum Italorum quatuordecim libri.¹⁾

In quibus omnibus recensentur breviter Acta et Vitae Apostolorum, Martyrum, Confessorum et aliorum Sanctorum qui Palestinam, Syriam et Italiam illustraverant: quae recensiones magni sunt hodie momenti, quia saepe deperdita sunt Acta eorumdem primigenia, ex quibus hauserat ipse poeta Remensis. Prosaica vero sunt a Flodoardo scriptae Vitae SS. Remigii, Theodorici, Rigoberti, Basoli et aliorum, quae e documentis genuinis seu ex ore testium oculatorum mutuatus, inseruit in Historia ecclesiastica Remensi, cujus est auctor praeclarus.

47. Sigehardus Trevirensis.

Circa annos 960—970 florebat Sigehardus Monachus S. Maximi Trevirensis qui ex Aquitania oriundus et litteris sedulo excultus, scribendi etiam peritia caeteros superabat. Unde suscepit, jubente Witero abbate, curam prosequendae post Lupum Ferrariensem historiae miraculorum patroni sui monasterii. Quae continuatio currit ab anno 860 usque ad annum 962. Tam accurate vero descripta est et cum tanto studio veritatis „ut nihil retulerit auctor nisi quod ab Abbate suo acceperit, vel ex ore ipsius probatum, vel visum a teste adhuc vivente seu compertum ab eodem abbate.“²⁾

48. Eberhardus item Trevirensis.

Circa idem tempus scholis ejusdem monasterii Trevirensis praeficiebatur Eberhardus, vir eruditione ac pietate insignis. Porro litteris exaraverat iste Vitas Sanctorum Eucharitii, Valerii et Materni, id est trium primorum episcoporum Trevirensium, easque tam metro quam prosa descripsit³⁾ sed adhuc ineditae jacent si usque ad nos pervenerint.

¹⁾ Patrol. lat. t. 135.

²⁾ Prologus in Miracula S. Maximini Trevir.

³⁾ Chronicon Hirsangiense t. 1 p. 56, seu anno 909.

49. Utho.

Utho seu Voto, qui regebat ecclesiam Argenteratensem circa annos 950—965 scripto mandavit inter alia monimenta litterarum duplicem vitam duorum e suis decessoribus, scilicet S. Amandi (26. oct. 360) et S. Arbogasti (21. jul. 678). Prior ex eis perdita videtur; altera vero ad nos pervenit, et a Sociis Bollandianis edita est. Porro auctor in ea ingenue fatetur: „quia, scriptura absente, nihil certum habetur de ortu et conversatione Sancti episcopi Arbogasti, ipse tamen non credens omnino oblivioni tradi debere omnia, quae per aures fidelium transeundo, posteris narrantibus, in ejus sunt auribus infusa, aliqua ex eis collegit . . . tanquam praecipua fide digna, ut putat.“¹⁾

50. Anonymus Vosagensis.

Circa etiam idem tempus scribi debuit Vita S. Hidulfi (11. jul. 711) occasione ejusdam sacri corporis translationis, quae anno 954 contigit. S. Hidulfus ex episcopo Trevirensi factus monachus fundavit in primis annis octavi seculi Medianense Monasterium, illudque primus rexit: unde auctor nimis erat remotus ab ea aetate ut virtutes et res gestas Sancti per se nosceret: sed nihilominus aliqua fide et auctoritate dignus est quia constanter asserit. „se cuncta deprompsisse ex primigeniis actis quae digesta fuerant veraci stylo in volumine non parvae quantitatis . . . ab his, quibus contigit Sancti Antistitis sedulitate tunc temporis perfrui . . . quod (volumen) prae incuria adeo vetustas consumpserat ut vix minima, quae praemisimus, inde excerpti potuerunt.“²⁾

51. Ratherius Veronensis.

Ratherius, Episcopus Veronensis, qui obiit in anno 974, omnium forsitan scriptorum decimae aetatis nominatissimus haberi meretur. Nam multa et varia monimenta suae doctrinae nobis reliquit: sed pauca ex eis sunt bene compta, quia inconstans erat auctor, quietis impatiens, ardore nimio flagrans zeli, sale vero sapientiae seu discretionis non sufficienter repletus. Inter scripta Ratherii pertinent solummodo ad genus hagiographicum, ea, quae sequuntur scilicet: 1. aliquot sermones historici ad laudem Sanctorum.

2. Vita S. Ursuarii, Abbatis Laubiensis (18. april. 690) quae simplex est recensio scriptionis ab Anzone composita.

52. Eginus Monachus.

S. Ansovinus, Episcopus Camerinensis in Italia (15. mart. 840) cum magna sanctitatis et miraculorum laude floruerat nono seculo,

¹⁾ Prolog. in Vitam S. Arbogasti.

²⁾ Prima Vita S. Hidulfi, n. 17.

cujus res gestas conscripsit jussu Petri item Episcopi Cameriniensis (963—993) Eginus Monachus, qui pie et sat eleganter narrat, nimis vero parcius presertim quoad vitam proprie dictam sancti. Insuper mutila est saltem in editis haec scriptio.

53. Anonymus Coloniensis.

Ante annum 976 describi debuit, siquidem dedicata est Geroni archiepiscopo Coloniensi (969—976) antiquissima, ut judicant recentiores Bollandiani.¹⁾ Passio S. Ursulae et sociarum ejus. Multum accepisse asserit expresse auctor a Comite Othonis magni familiari, Hoolfo nomine, qui ipse ex ore S. Dunstani Cantuariensis totum hauserat.²⁾ Hinc conjicitur anonymum, cui haec Passio debetur, omnimodam adhibuisse curam ut verum a falso, et certum a dubio secerneretur, siquidem non contentus traditionibus, quae vigeant in loco sepulturae Sanctarum Virginum, eas etiam traditiones, quae vulgatae erant in loco eorum natali inquisivit diligenter, unde non indignus fide videtur iste scriptor saltem quoad substantiam rerum, scilicet

1. Quoad locum natalem Ursulae et sociarum ejus, qui est certe Britanniarum insula.

2. Quoad epocham tam intricatam martyrii sanctorum Virginum. Hic solutio questionis pendet ni fallimur e caractere Ursulanae navigationis, qui fuit publicus et non privatus. Volumus asserere, taliter loquendo teste isto anonymo hanc expeditionem nauticam sui generis non potuisse inchoari seu perfici nisi auctoritate publica, id est magistratibus romanis tum Britanniae tum Germaniae et Galliarum consentientibus et faventibus seu adjuvantibus. Porro rebus sic stantibus dicta navigatio praecedere non sequi debuit ingressum Anglorum et Saxonum in Britanniam: nam quando contigit iste eventus, jam a quadraginta annis Britanni Romanos magistratus expulerant ex eorum insula et jugum imperatorum excusserant. Unde Passio S. Ursulae debere ascribi videtur annis 384—400 juxta sententiam magis probabilem.

3. Quoad numerum martyrum; nihil obstat quin iste numerus undecim millia saltem approximative attingat. Nam simul cum Ursula et sociis ejus martyrium passa est multitudo plebis et promiscui sexus, quae asylum quaesierat in civitate Coloniensi contra Hunnos seu alios Barbaros omnia ferro et igni tradentes, nemini parentes nec sexui, nec aetati, nec sanctitati.

Haec consecraria, ut patet, maximi sunt momenti, valoremque conferunt non despicabilem scriptioni, de qua loquimur.

¹⁾ Analecta Bollandiana t. 3, initio.

²⁾ Prologus hujus Passionis.

54. Ruotgerus Coloniensis.

S. Bruno (11. oct. 965) frater Ottonis Magni, primo monachus, deinde archiepiscopus Coloniensis, unus fuit ex praecipuis seculi decimi Episcopis, unus ex eis, qui studiosius et felicius laborem impenderunt tum ad morum christianarum redintegrationem, tum ad litterarum vel bonorum artium instaurationem. Biographum etiam habere meruit Ruotgerum, qui ex discipulo et familiari¹⁾ factus est postea unus ex ejus successoribus in Cathedra Coloniensi. Sed antequam ordinaretur episcopus, et etiam ante annum 980, ut videtur, seriem gestorum Brunonis retexit, et eleganter conscripsit.²⁾ Quae scriptio multum adjumenti praestat ad illustrandam historiam germanicam hujus temporis.

55. Stephanus Coloniensis.

Circa eosdem annos florebat Stephanus, monachus S. Pantaleonis Coloniensis, qui suscipiens ex obedientia curam prosequendi laudibus S. Maurinum abbatem et martyrem (10. jun. 500?)³⁾ non tamen litteris exarare martyris Acta et Passionem ausus est (deficientibus documentis authenticis) sed retulit solummodo „qualiter ejusdem Martyris corpus inventum sit anno 966, et quibus postea miraculis claruerit.“⁴⁾ In qua re adimplenda, ea, quae propriis oculis viderat, studuit fideliter recensere.

56. Anonymus Colonienses.

Iisdem annis affigi posse videtur Vita S. Evergisli, archiepiscopi Coloniensis (24. oct. 420), quae scripta fuit occasione inventionis et translationis corporis sacri e Tungris Coloniæ factae, procurante S. Brunone archiepiscopo (953—965). Auctor erat Coloniensis, ut conjicitur; bona fide et expedite narrat, pauca referens de rebus a Sancto in vita gestis utpote nimis remotus a quinto seculo

57. Alii anonymi.

Iisdem etiam annis attribui posse putamus aliquot alia scripta anonyma ejusdem generis, id est, quae pro objecto habent Inventionem seu Translationem aliquot Sanctorum, scilicet.

1. Translatio S. Pusiunae Virginis anno 860 facta ex agro Ambianensi Herfordiam in Germania.

2. Item translatio S. Epiphanii, Ticinensis episcopi anno 963 peracta e Ticino Hildesheimium in Germania.

¹⁾ Vita S. Brunonis Colon. n. 8, 44 etc.

²⁾ Haec vita jam citatur a Folcuino in libro de gestis abbatum Laubiensium, qui pertinet ad annos 980—991.

³⁾ Inventio S. Maurini n. 1.

⁴⁾ Ibid. n. 4.

3. Item translatio S. Taurini primi episcopi Ebroicensis in Gallia, circa annos 910—918 peracta e Laudosae castro in Arvernia apud monasterium Gigniacense in Burgundia.

4. Inventio et translatio in anno 964 peracta S. Fidelis Martyris Comensis (28. oct. 285).¹⁾

5. Duae translationes et secunda Vita S. Alpini, Catalaunensis episcopi (7. sept. 510). Hujus generis scriptionum numerus facile adaugeri posset, sed cum ordinarie nec sint extensae nec multum adjumenti praestent ad rem historicam illustrandam abstinere melius judicavimus, vitandae cujuslibet prolixitatis causa.

58. Gumpoldus.

Gumpoldus jam erat Mantuanus episcopus, quando rogante Othone secundo, qui Germanis imperavit ab anno 964 ad annum 983, monumentis litterarum tradidit Vitam S. Wenceslai, Ducis Bohemorum et Martyris (28. sept. 936). In qua re perficienda „quaecumque veracium virorum relatu comperire poterat, collegit“²⁾, et licet res stylo contorto, diffuso et obscuro explicet iste biographus, pluris tamen aestimatur ejus scriptio utpote primigenia saltem inter editas, utpote fons ex qua plurima desumpserunt alii biographi S. Wenceslai et ejus aviae S. Ludmillae.

59. Christianus de Scala.

Nepos erat S. Wenceslai, et pronepos S. Ludmillae viduae et martyris (16. sept. 917) Christianus de Scala, cui debetur duplex Passio sat prolixa sed in eodem scripto contenta Ludmillae et S. Wenceslai. Quae scriptio utpote dedicata S. Adalberto jam episcopo Pragensi, non potest esse seu posterior anno 989 seu anterior anno 983. Non est aliunde absolute primigenia, siquidem biographus fatetur alium ante se hanc duplicem Passionem descripsisse. Ipse aliunde aliqua mutuatus est fere de verbo ad verbum ex Gumpoldo Mantuano.³⁾ Veruntamen ante eum haec duplex Passio non erat pleniter conscripta. Quocirca ipse eam perficere cupiens „senes seu religiosos quosque adhuc superstites, qui (Ludmillae et Wenceslai) gesta vel acie oculorum hausissent, seu auditu, aliorumque narratione comparassent, percunctavit atque hic edidit.“⁴⁾ Tractatio Christiani de Scala integre a Balbino edita est inter monumenta rerum Bohemicarum, ut scriptio maximi momenti pro historia Bohemiae.⁵⁾ Sed partim tantum invenitur

¹⁾ Ista scriptio recentissime luce donata est apud *Analecta Bollandiana* t. 9 p. 354—359.

²⁾ Vita S. Wenceslae, n. 22, 25. — *Patrol. lat.* t. 135 p. 919 et seq.

³⁾ Conferentur ad rem probandam numeri 10 et 11 Gumpoldi cum numeris 4 et 5. Christiani de Scala.

⁴⁾ Prologus in Vitam S. Ludmillae.

⁵⁾ Epitome rerum Bohemicarum p. 400—440?

in Actis Sanctorum Bollandianorum quia nimis prolixè res explicat et narrat. Insuper auctor non satis horret fucum, periodos nimium intricatas, voces exoticas, solecismos et alia hujus generis.

60. Joannes Cassinensis monachus.

Paulo post Laurentium, de quo superius locuti sumus, floruit in eodem monasterio Cassinensi Joannes, qui occasione cujusdam translationis corporis S. Joannis Episcopi Spoletini et martyris (19. sept. 540), Vitam et miracula istius sancti simpliciter et paucis verbis retulit et enarravit.

61. Hartmannus San-Gallensis.

Vita primigenia S. Wiboradae Virginis et martyris (2. maii 925) inchoata fuerat rogatu S. Udalrici Episcopi Augustani, qui obiit in anno 975, a Monacho Ekkeardo, sed morte interveniente, ab eodem non potuit absolvi.¹⁾ Eam vero perfecit paucis annis post mortem dicti S. Udalrici Hartmannus, unus ex sodalibus Ekkeardi. Ipse vero Hartmannus nihil refert nisi ea quae compta erant ex fidei antecessorum relatione.²⁾

62. Sigebertus Corvegensis.

Monachus erat Corvegensis in Saxonia Sigebertus, et in omni varietate scripturarum doctissimus, teste Trithemio³⁾ quando prosa simul ac metro exaravit vitam S. Hunni Bremensis Archiepiscopi (21. oct. 936). Sed antea convixerat isti sancto quasi familiaris, et comes peregrinationum ascitus. Unde omni fide digna videbatur ejus narratio infeliciter vero ad nos non pervenit, seu adhuc delitescit in pluteis bibliothecarum.

63. Anonymus Petragoricensis.

Gausberto, qui erat chorepiscopus Lemovicensis circa annos 960—980, attribuitur quaedam Vita S. Frontonis, primi episcopi Petragoricensis (25. oct. 120?). quae merito damnata est in concilio Lemovicensi anno 1031 celebrato.⁴⁾ Sed a toto coelo aberrant Tillemontius et ejus sequaces, qui asserunt a Gausberto fabulatore pendere quoslibet alios biographos S. Frontonis siquidem Rabanus Maurus vitam dicti Frontonis jam ineunte nono seculo noverat eamque abbreviavit.⁵⁾ Insuper, licet vita primigenia S. Frontonis ad nos non pervenerit, alia nihilominus nobis transmissa est, quae Gausberto antiquior est et videtur digna fide saltem quoad substantiam rerum. Eam paucis abhinc annis luce publica donaverunt

¹⁾ Vita S. Wiboradae n. 17, 40.

²⁾ Ibid. n. 40.

³⁾ Chronicon Hirsaug. ann. 909.

⁴⁾ Invenitur haec scriptio in collectione Historiarum Ecclesiae Gallicanae Bosquetii.

⁵⁾ Martyrolog. Rabani die prima octobris.

socii Bollandiani.¹⁾ Eam vero non prodidisse ante annos 920—930 deducitur ex eo quod vetus Neustriae pagus jam ab isto anonymo Normannia vocatur.²⁾

64. Anonymus Lutrensis.

Vita S. Deicoli fundatoris et primi Abbatis (18. jan. 626) monasterii Lutrensis in agro Vesontionensi scripta fuit circa finem decimi seculi ab aliquo anonymo, qui eam dicavit Werdolfo, Abbati ejusdem asceterii (959—980). Licet multum distans a diebus sui herois, iste biographus nullum tamen se antiquiorem invocat, sed aliunde tanta fulget eruditione, et tam ardenti flagrat studio veritatis, ut verosimile videatur nihil illum asseruisse, nisi quod noverat, bonis innixus testimoniis. Iste aliunde anonymus usque ad sua tempora perducit historiam Lutrensis monasterii, acriter sed jure merito arguens vitia principum sui temporis: unde multa ex hac descriptione pro enucleanda hujus aetatis historia desumi possunt. Stylus auctoris rudis est et parum cultus, sed ordinarie clarus et intelligi facilis.

65. Harmerus Andegavensis.

Circa annos 970—990 Harmerus enarravit partim ut testis oculatus, partim simpliciter ut testis auricularis translationem S. Mauritii Episcopi Andegavensi (13. sept. 450) a Nefingo, qui eandem ecclesiam ab anno 966 ad annum 973 gubernavit, peractam et deinde prima miracula inde secuta. Simplex est et elegans haec scriptio licet nimium brevis nec alicujus fuci experta.

66. Anonymus Ferrariensis in Gallia.

S. Aldricus, archiepiscopus Senonensis, obiit die sexta Junii 836, et sepultus fuit in monasterio Ferrariensi, cujus fuerat monachus et abbas ante suam ad gradum episcopalem promotionem. Hujus Pontificis gesta et miracula post mortem peracta compendiose recensita sunt correcte et pie a quodam anonymo, qui probabiliter non scribebat ante ultimos annos decimi seculi.

67. Anonymus Narniensis.

Isdem etiam annis affigi posse videntur Relatio (post aliquam ablationem) corporis S. Juvenalis Episcopi Narniae (3. maii 360) et miracula ejusdem sancti. Dicta Relatio habita fuit tempore Adalberti secundi Marchionis Tusciae (890—930). Anonymus vero, qui hanc retulit pie et eloquenter sub forma sermonis seu panegyrici prolata in die festo sancti, loquitur etiam ut testis oculatus et auctoritate gravis.

(Continuatur in seq. fasc.)

¹⁾ Acta SS. t. 1. 11. oct. p. 407—415.

²⁾ Ibid. p. 411, n. XI.

Das Collegium St. Bernardi in Prag.

Ein culturhistorisches Bild in honorem St. Bernardi von P. Sigismund Bredl,
S. O. Cist.

(Schluss zum Artikel I., Heft I. 1893. S. 53—60.)

